

1572  
1575  
1578

1575  
1572  
1570

AB  
153490

V 00


alte Nr. 260.

Sponselius, J.

enthält 6 weitere Schriften.  
darunter Abdruck von  
Luthers Unterricht der  
Visitatorn. 1528.

K. IV. 44.





A P O L O G I A

D. IOANNIS STOSSELII,  
O P P O S I T A S O P H I S T I C I S E T F R I -  
uolis cauillationibus quorundam censorum, in Comitatu  
Mansfeldensi, qui ambitione & odio accensi, potentiam &  
autoritatem reformandi alienas Ecclesias arroganter si-  
bi sumunt, & prætectu puritatis doctrinae, & glo-  
ria Dei, ad nouas seditiones, aut distractio-  
nes seuiore in Ecclesia Christi  
classicum canunt.



1. Corinth. 4.

Ego verò nihil facio à vobis iudicari, vel ab humano die,  
Dominus est, qui verè & iustè de me sententiam laturus  
est.

Esaiæ 9.

Vnusquisq; deuorat carnem brachij sui, Manasse Ephra-  
im, & Ephraim Manassen.

Galat. 5.

Qui conturbat vos, iudicium portabit, quisquis est.

Prouerb. 18.

Iustus in principio accusator est sui, postea inquit in alios.

I E N Æ, Ex Officina Donati Ritzenhaini,  
Anno Christi, M. D. LXVI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



AB 153490

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





**T**erum prodijt ex officina coniuratorum  
Flacij, idq̄ sub specioso & plausibili Confes-  
sionis titulo, atrox & mordax Inuectiua,  
lacerans tam nomen quam Propositiones  
meas, quas ante biennium publicè in Aca-  
demia nostra disputandas & excutiendas,  
ratione officij, pio bonoq̄ consilio proposui, nihil tum minus  
expectans, quàm cum & Collegis meis, viris clarissimis &  
alijs eruditione ac pietate præstantibus, qui publicè & pri-  
uatim mecum contulerunt, à me satisfactum esset, fore, vt in  
posterum ab exteris etiam in Examen aut disceptationem  
vocarentur, atq̄ ab ijs præsertim, qui magis factionum stu-  
dijs & fictis criminationibus, q̄ erudita disputatione hæcte-  
nus, Ecclesias oppugnare consueuerunt. Sed cum tanta sit in  
quibusdam odij aduersus me acerbitas, Zeli tamen colore in-  
ducta, vt quotidie ad conflictum me laceffere & conuitijs me  
prouocare non desinant, additis etiam artibus Sinonijs, qui-  
bus non tam mihi exitium, q̄ Ecclesijs harum Regionum dis-  
sipationem & sæuiores distractiones moliuntur: breuiter hu-  
ius nouæ Confessionis, seu verius confuse & ambitiosæ Re-  
formationis atroces accusationes, quæ instar caudæ Draconis  
ad calcem illius præclari voluminis adiectæ sunt, refutandas  
suscipere volui, præsertim cum & magnum consensum in op-  
pugnando præ se ferat, & amplos titulos sibi vendicet, ac vt  
apud imperitos sua fallaciloquentia se magis insinuet, synceros  
Doctores cum falsis commisceat, & ad Synodum ac Ecclesiæ  
iudicium prouocet, à condemnatione scilicet ad causæ cognitio-  
nem, vsitato huius factionis processu.

Moueor etiam non modò nominis & officij mei ratione,

A 2      vt qui

ut qui publicum docendi munus in Ecclesia, & in Academia  
Ienensi, Illustriss: Principum, Saxonie Ducum autoritate  
& consensu sustineo, in quos etiam non obscure huius rabiosæ  
factionis tela vibrantur, sed multorum obtestationibus, pre-  
cibus & cohortationibus, quibus dolet, hanc effrenem licen-  
tiam impune calumnijs grassandi, non tempestivius cohibi-  
tam fuisse, meq; incusant, quod silentio meo non modò proter-  
viores ipsos reddam, sed etiam alios in fraudem inductos, in  
falsa persuasione & errore confirmem: Ut modestè has falsas  
& iniustas criminationes depellam, vberius & copiosius id  
facturus, ubi aut ad Synodum res deducta fuerit, aut historia  
horum certaminum integrè euulgabitur.

Primum verò architecti seu fabri huius novæ Confusio-  
nis objiciunt mihi perplexitates. Sed quid mirum? Cum nihil  
tam perspicuè, explicatè & propriè dici possit, cui non tene-  
bras ipsi offundant, & quod non ambiguitatis aut perplexi-  
tatis condemnent, præcipuè si ab ijs proficiscatur, quos iam  
antea virgula sua censoria notarunt, aut quos linguæ dela-  
trices suorum complicum suspectos eis reddiderunt. Ac quis  
est tam circumspectus, qui omnia cavilla prævideat, aut tam  
disertus, qui quæ prævidit, aptis verbis possit eloqui omnia,  
ac munire, ne qua se calliditas Flaciana insinuet? Sed hinc non  
obscure animi morbum produnt, & significant, se ad censu-  
ras & iudicia dogmatum non afferre timorem Dei, eruditio-  
nem veritatis amorem, studium iuvandæ veræ invocationis  
Dei, modestiam, candorem animi, benevolentiam erga alios  
doctores, voluntatem. τὰ μὲν πειθεῖν, τὰ δὲ πειθεῖσθαι. Ut olim  
dicebatur, Sed o dia, exulceratas voluntates, inscitiam, arro-  
gantiam, sophisticam, contentiones, & victoriæ iniustam cu-  
piditatem.

Etsi



Etsi autem nobis imbecillitas nostra non prorsus ignota est, & meminimus hanc Pauli vocem: Non sumus idonei ad cogitandum aliquid, tanquam ex nobis: tamen postquam necesse fuit ostendere Confessionem nostram de Libero Arbitrio, perspicue & disertè sententiam nostram complexi sumus, nec discessimus à consensu Ecclesiarum nostrarum, qui extat in doctrina Prophetica & Apostolica, Augustana Confessione, scriptis Lutheri, & in libro Confutationum, neque palam neque occultè *αυωεργεια* in non renatis, aut homine *ψυχικῶς*, ut quam contumeliosam iudicamus aduersus gratiam Christi, & officium Spiritus sancti, probauimus, aut fucosis interpretationibus defendendam & excusandam suscepimus.

Nihil igitur insidiosè occulto, multò minus vim aut scelericam in quenquam exerceo, sed dum fortiter factionum studijs, & prauis molitionibus Sycophantarum, communem harum Ecclesiarum concordiam petulanter turbantium, me pro officio oppono, idque operam do, ut cum *ὀρθοδοξία*, vera etiam doctentium *ὁμολογία* apud nos constet & floreat, sicuti Dei beneficio dulcissimus nunc omnium Professorum & Superintendentum, in pura doctrinae caelestis professione & propagatione, consensus apud nos extat, ibi tanquam syncretismo facto, furenter haec factio tumultuatrix in me irruit, & ut plausibilior sit actio, pro more suo corruptelas & collusionem cum Adiaphoristis & Synergistis mihi affingit. Sed ego his criminationibus non modò conscientiam rectae voluntatis meamque Confessionem toties in concionibus & lectionibus editam, sed testimonia omnium Ecclesiarum in hoc Ducatu nostro, & alibi, quae à contagione horum hominum *ἑριστικῶς* immunes & alienae sunt, opponere possum. Et inter cætera beneficia huic Academiae no-

stræ diuinitus præstita, hoc non postremum duco, quòd i.lem  
doctrinæ & animorum consensus, quem ante annos 14. anteq̃  
barbaræ gentes in vineam Domini infusæ essent, cum D.  
D. Schnepffio & alijs Collegis colui, non sine admiratione,  
nec sine fremitu multorum, singulari Dei beneficio nobis re-  
stitutus est. Vt autem tunc etiam absq̃ Flacio eiusq̃ Manipu-  
laribus, in Scholis & Ecclesijs nostris pura & incontamina-  
ta Euangelij doctrina viguit: Ita nunc etiam doctrinæ puri-  
tatem & Ecclesiarum salutem ad hæc Flaccida fulcra, quæ  
vbiq̃ dominationem sibi rapiunt, & tyrannidem exercent,  
non alligata esse iudico. Alia sunt doctrinarum <sup>ἡγήσια</sup>, ali-  
ud Ecclesiæ fundamentum, aliæ notæ discernentes veram Ec-  
clesiam à falsa q̃ Flacio eiusq̃ asseclis addictum & mancipa-  
tum esse.

Cum igitur in hoc fundamento, cui nos Christus ipse in-  
edificat, gubernante me Spiritu sancto firmus & immotus  
adhuc persistam, omnesq̃ corruptelas doctrinæ ex animo dete-  
ster, omniaq̃ studia, consilia, & actiones ad veræ doctrinæ  
propagationem, ad gloriam Filij Dei, ad regni Christi salu-  
tem, & ad Ecclesiæ non destructionem, sed commodum, in-  
crementa & vtilitatem directâ habeam, nec obscura hætenus  
testimonia præsentia, efficaciam gubernationis, protectionis,  
& auxilij diuini in mea statione de ipsa reprehenderim, ingra-  
tus essem erga Deum, si propter hos Diaboli morsus flacce-  
scens, animum abijcerem, aut languidius & remissius voca-  
tionis meæ operas expedirem. Verissimum quidem est Salomo-  
nis illud: Calumnia conturbat sapientem, & frangit robur  
cordis eius. Et illud Plutarchi in Timoseonte: χαλεπώτερον  
ἔστιν ἢ βλάβη φέρονται. Sed dum mecum reputo, vnde seu à  
quibus

quibus proficiscantur hæc artificia, deinde quò candore, quibus insidijs hæc factio, piorum Ecclesias earumq; doctores oppugnet, uidelicet calumnijs, sophistica, lycophantijs, mendacijs & alijs artibus obliquis: Et postremò, quis tandem sit exitus calumniatorum, quem scilicet Psalmus 140. denunciatur: *Vir dicax seu linguosus non stabilietur in terra &c.* Et Poëta Græcus: *ἡ χαλινῶν σωματῶν τὸ τέλος δυσυχία*: non modò reprimò dolorem meum, sed ad commiserationem accendor, dum iuste vindictæ Dei, quæ grauissima aliquando ipsis incumbet, recordatio subit, Deumq; oro, vt à studio contentionis ad moderatiora consilia, & ad idem studium tuendæ puritatis doctrinæ & coniunctionis ac concordie piorum has Erynnias flectat. Ac certè plus satis negocij & certaminum nobis erat, etiamsi coniunctis copijs aduersis professos & externos hostes dimicaremus, & collegas in eadem vera Ecclesia aut placidè sanaremus, aut sapienter & sine impietate tolleraremus. Pericles reprehensus est, quòd ommissis ciuitatis hostibus, incurreret in amicos, præstantiss: ciues. Nam Cimonem vrbe expulit. Ephialten etiam dolo necasse scribitur. Contra laudati, Themistocles, Aristides, Camillus, Fabius, Scipio, quod sociorum ambitioni cesserunt, & iniurias à ciuibus acceptas placidè tulerunt. Et vniuersæ ciuitatis Atticæ moderatio profuit toti Græciæ, quòd primum ad Artemisium cessit summam imperij Lacedemonijs. Deinde ad plateas cum Arcades locum priorem sibi tribui peterent, responderunt Athenienses, Non hoc tempore de loco seditiones mouendas esse, sed vbiq; collocarentur, se annexuros esse, vt viri boni essent, *ἡ ἀντὶ τὰ ταυρῶσι παρὰ χροσόμεθα εἶναι ἄριστοι*. Et nota est vetus admonitio de syncretismo. Multos autem vidimus his aliquot annis in  
Eccle

*Ecclesijs nostris, qui omissis communibus hostibus, privato affectu in Collegas & quidem amicos, magna acerbitate animorum impetum fecerunt. Sed hæc, inquiunt, philosophica sunt. At cur non etiam considerant præcepta diuina de concordia? Cur non mouentur misericordia Ecclesiæ, quæ est saucium & ægrum corpus, cuius vulnera magis vel privato odio vel ingenij ostentatione, & hostili reformatione lacerare, magna crudelitas est. Pingitur Ecclesia in viatore saucio, hunc Samaritanus molliter uehit in diuersorium, non in carnificinam aut in Latomias, & curari eum iubet. Ac Filius Dei ipse inquit, se gestare Ecclesiam, ut pastor in gremio tenellos agnos recens editos gestat. Quem porro non delectet aut commoueat amplissima promissio, quæ in Ioanne scripta est? Deus est dilectio, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo. Hanc conferamus an illud Salomonis dictum: Abominatio est coram Deo, qui inter fratres dissidium excitat. Item ad illud Pauli: Qui conturbat vos, iudicium portabit, quisquis est. Horribiliter igitur Deus punit eos, qui sine necessarijs causis Ecclesiam hoc tempore dilacerant.*

*Cæterum in Propositionibus meis arrodendis & exagitantibus, utuntur hi Areopagitæ & iniqui censores mei artificio seu stratagemate malis procuratoribus, quos Aristophanes  $\sigma\gamma\epsilon\psi\omicron\delta\iota\mu\iota\sigma\alpha\omicron\varsigma$  vocat vsitato. Ut enim illi ex legibus truncata & mutilata quedam membra excerpunt, & contra mentem ac sententiam Legislatoris ad malæ causæ patrocinium torquent: Ita hi Sophistæ, sua  $\sigma\omicron\phi\iota\sigma\omicron\mu\alpha\tau\iota\alpha$  contra mentem auctoris è contextu Propositionum uoculas quasdam contorquent & deprauant, mox etiam violentas consequen-*  
tias at-

tias attexunt, & tandem quasi victo & prostrato Stoffelio  
insultant, eumq; in hæreticorum catalogum, propter has lo-  
quendi formulas, tanq; supremi inquisitores prauitatis hære-  
ticæ adscribunt & accensent. At quantò candidius fuerat, si  
quid ambigui positum esset, prius ab autore flagitare explica-  
tionem, nec inauilitum, præcipuè cum Propositiones ὁμιλικῶς  
causa scriptæ sint, hæreseos aut ἀποστασίας condemnare. Et  
extant in veteribus Theologis præclara huius candoris præ-  
cepta, vt apud Augustinum Tractatu in Ioan: III. Nemo  
sereniss: sensum nubilosa contractione perturbet, consequen-  
tia perhibeant testimonium præcedentibus verbis. Et Ter-  
tullianus inquit: Oportet secundum plura intelligi pauciora.  
Ac Paulus 1. Timoth. 5. Obtestor te vt hæc custodias ἡσυχίᾳ  
ἡσυχίᾳ, μηδὲρ ποιοῦν ἢ ἀποκλιθεῖν. Ego itaq; à meis E-  
phoris & flagellatoribus iniuria me affici publicè quæror,  
deq; præpostero processu quem hætenus ipsi in Papistis re-  
prehenderunt, & usurpant tamen, coram legitima Syno-  
do aduersus eos protestabor, & δίκην συνωφθαλμίας contra  
ipsum instituem. Quoties enim nunc repetij, Naturam hominis  
ita peccato originis deprauatam & corruptam esse, vt nec  
σὺν ἐσθῆτι, nec arbitrium in rebus diuinis habeat. Caro enim,  
vt Christus inquit, nihil prodest, & quidquid ex carne na-  
tum est, caro est. Atq; id asseuero, hominem non renatum, seu  
vt Paulus loquitur ἄψυχον, verè esse instar luti in manu fi-  
guli positum. Totum igitur conuersionis opus cum soli gratiæ  
Christi seu Spiritui sancto attribuem, & e contra repudiem  
omnes contrarias sententias, iam pridem iudicio veræ & Ca-  
tholicæ Ecclesiæ damnatas, videlicet eorum, qui aut scintil-  
lam boni ad cooperandum, in natura veteri & emortua reli-

B

quum

quum faciunt, aut qui inter Spiritum sanctum, & vires hu-  
manas partiuntur, aut qui à gratia duntaxat nos adiuuari,  
nec totos nos refingi, renasci aut innouari contendunt: an non  
manifestè me segrego non tantum à Pelagianis, sed etiam à  
Semipelagianis, quos illi improprie Synergistas appellant?  
Constanter autem cum Paulo profiteor, Dei nos opus esse,  
ad bona opera per Iesum Christum conditos. Item Deum esse,  
qui det velle & perficere. Imò, post conuersionem etsi ornatur  
honorifico elogio, quòd simus οὐνέγγοι τὸ θεῶν: tamen idipsum  
κατ' ἐπιεικέα nobis attribui sentio, vt semper maneat illud  
Pauli firmum & immotum: Gratia Dei sum quicquid sum.  
Item, Omnia possum in eo, qui me confortat &c. Et, vt Au-  
gustinus inquit: Ille verè fortis est, qui non in seipso fortis  
est, sed in Domino. Quòd maiora enim Deus dona apud nos  
deposuit, eò magis gratiæ illius sumus obnoxij. Atq; hæc arx  
est totius controuersie. Modum verò agendi (vt vocant in  
Scholis) oppono non iam recitatae sententiæ, sed Stoicis & En-  
thusiasticis furoribus, qui hominem cum trunco aut naturis  
brutis confundunt, qui insulse non modò vim & facultatem  
conuertendi, sed ipsam etiam substantiam cordis & volunta-  
tis homini eripiunt, qui homines etiam hostiliter frementes &  
furentes, & aduersa fronte repugnantes Ministerio semper &  
ordinate conuerti volunt, atq; ita Deum ipsum autorem pec-  
cati constituunt, & labyrinthos inextricabiles conscientijs ne-  
dunt & iniiciunt, & tandem à Ministerio verbi homines ab-  
ducunt. Nec pertinaciter cum quoq; de vocabulis rixor aut  
contendo. Rebus enim intellectis, de verborum vsu facile inter  
bonos concordia sanciri potest.

Hic si hæreticus proclamor, mecum omnes ortho-  
do-

xi do-

xi doctores in societatem hæreseos pertrahuntur, Et econtra canonisuntur (vt barbarè cum barbaris loquar) Enthusiastæ, Schwenckfeldistæ, Manichæi, Stoici, qui cum suis portentosis & monstrosis paradoxis, iam dudum ex Ecclesia, & quidem peculiari Confutationum libro profligati fuerunt.

Falsum itaq; & impudens mendacium est, quòd hac verborum phrasi struxerim Ecclesiæ aut Veritati insidias, aut quòd in has voces semel à me <sup>μικτικῶς</sup> & citra fraudem usurpatas, quenq; iurare voluerim. Nam veram doctrinam simplicissimè explicatam sine corruptelis & sine umbris ac inuolucris ambiguum verborum, in Schola & Ecclesia sæpissimè proposui, normamq; totius controuersia, scripta Prophetica & Apostolica, Confessionem Augustanam, Confutationes nostrorum Principum, & scripta Lutheri dextrè collata & intellecta, semper esse volui, & adhuc cupio.

Quòd verò instant, Modum agendi à me non certò definirì, atq; ita ex varietate interpretationum fraudem magis emergere, aut certè se non posse assequi (Dauì nimirum non Oedipi) quid tandem inde extruere cupiam. Ego etsi toties & ad raurim vsq; ipsis inculcarim, tamen nè videar aliquid occultare, denuò repetam, sed si prius hoc Lectorem monuerò, vt candorem & fidem horum Areopagitarum consideret. Publicè iam vltra triennium proclamatus sum ab hisce morosis iudicibus, idq; literis, rapsodijs, calumnijs, & voce Stentorea, Synergista, hæreticus, & Apostata. At iam vltrò fatentur, se nondum intelligere quæ mea sit sententia in hac controuersia. Itàne post latam sententiam, & factam executionem instituitur demum inquisitio? At vnde his ar-

gutis censoribus tantus in iudicandis meis Propositionibus  
stupor? Unde tanta iudicij peruersitas? Haud dubiè, nisi a-  
nimi liuore & maleuolentia iam antea occupati & suffusi  
essent, & præiudicijs antecepti, longè ipsos & perspicaciores  
& æquiores mihi iudices fuisse statuo. At nunc verissimum  
esse deprehendo, quod Ptolomeus in Centiloquio inquit, Amor  
odiuq̄, ne vera eueniant iudicia, prohibent, Augent enim  
minima & minuunt maxima. Item Grecum illud: τὸ δὲ οὐκ ἔστι  
βιάζεσθαι τὴν ἀλήθειαν. An verò has artes à Lutherò præceptore  
didicerunt? Quòd si hìc affectui & stylo indulgere vellem,  
quid facilius esset, quàm ostendere, magis πάρεργα quàm  
ἔργα Lutheri has simias imitari? Ac digni certè erant, qui-  
bus λεοντὴ seu larua Lutheri asperius paulò detraberetur, qua  
simplicibus & imperitis hætenus fucum fecerunt, & zelus il-  
le, quo tantopere intumescunt, in lucem & theatrum publicum  
produceretur. Sed quia Synodum nobis paulo post daturi sunt,  
& plurimi non sine suo & Ecclesiæ malo hunc zelum ani-  
maduertere iam discunt, quibus constantiæ affectatæ κῆρωσις  
& vana Lutherani nominis ostentatio oculos antea perstrin-  
xerant: de industria orationis vela nunc contraho.

Intelligimus autem per Agendi modum, vt in Pro-  
positionibus breuiter, in disputatione autem vberius explica-  
uimus, non latentem aliquam vim aut efficaciam, in homine  
psychico post lapsum reliquam, quæ in rebus spiritualibus ex-  
citata tantum à Spiritu sancto, cum eo in conuersione concur-  
rat, sed discernimus cum Eruditis, idq̄, vsu in Scholis recepto,  
hac phrasi, naturam rationalem à bruta, Agens voluntarium  
ab agente naturaliter. Etsi enim post lapsum facultas Mentis  
& voluntatis horribiliter impedita & languefacta est cæ-  
citate



citate & contumacia nobiscum nascente, tamen manet adhuc in hominis voluntate aliquo modo libera electio in ijs rebus & actionibus, quæ rationis humanæ iudicio subiectæ sunt, vt in vitandis sceleribus à Deo prohibitis, & honestè regendis moribus externis, in actionibus artificum, in discendis artibus liberalibus & mechanicis, & in motu locali hominis quocunq;. Hic si assensum voluntati detrahas (in rebus inquam externis & rationi subiectis) voluntatem ipsam destrui necesse est.

Deinde Modus agendi interdum sumitur pro capacitate libertatis, vt Lutherus & Brentius locuti sunt. Verba Lutheri Tom. i. pag. 236. extant. Quando, inquit, sancti patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis eius prædicant, quòd scilicet verti potest ad bonum per gratiam Dei, & fieri reuera liberum ad quod creatum est. Et Brentius contra Asotum in Apologia Confessionis VVirttembergensis inquit. Si in humano arbitrio post lapsum considera ueris vim agendi, non est nisi seruum & captiuum Sathanæ, si autem considera ueris in eo aptitudinem, non est saxum aut truncus, sed est in hoc diuinitus conditum, vt sit capax cælestium donorum Spiritus sancti.

Tertiò accipimus hanc phrasin pro Medio à Deo ordinato, per quod regeneramur & efficimur hæredes regni cælorum, ac opposuimus Modum agendi Enthusiasticis & Schwenckfeldistis, qui neglecto verbo vocali seu Ministerio Euangelij contendunt, illuminationes nescio quas & reuelationes à Deo expectandas esse, & viuificari homines, conuerti, & sanctificari sine Medio, nec Ministerium Euangelij Medium esse, per quod Deus agat, atq; ita prorsus eleuant

vim & efficaciam verbi per Ministros in Ecclesia sonantis.  
Hoc sensu Modum agendi D. VVellerus vsurpat in enar-  
ratione Epistolae ad Thessal: cum inquit: Nos sanctorum pa-  
trum felicitatem praedicamus, quod Deus cum illis per Ange-  
gelos & in somnis locutus est. Quod si verè aestimare volue-  
rimus, multò nos illis feliciores sumus. Nam hic Modus agen-  
di nobiscum longè est suavior & gratior, quod Deus humana  
voce per homines, inter homines, cum hominibus loquitur &  
agit &c.

Quartò & postremò id hac phrasi declarare volumus,  
Hominem accepto Spiritu sancto, ubi iam non amplius ap-  
pellatur *υποκινος*, non esse ut statuam, sed iam posse ex Spiri-  
tus sancti vi & efficacia assentiri promissioni, amplecti obla-  
tam gratiam, inchoare obedientiam, siquidem Spiritus S.  
non est ocium, sed est flamma & agitatio diuina, repug-  
nans Diabolo & infirmitati carnis, & accendens motus ta-  
les, qualis ipse Spiritus sanctus est. Ideo dictum est ad Roma:  
8. Spiritus opitulatur infirmitati nostrae. Et tamen cum Lu-  
thero semper retinemus hoc principium: In ipsa inuolutione  
& transmutatione hominis veteris, qui filius Diaboli est, in  
nouum qui filius Dei est, hic homo merè passiuè se habet, nec  
facit quidpiam, sed fit totus. De fieri enim loquitur Ioannes,  
Fieri filios Dei docet potestate diuinitus nobis donata, non  
vi liberi arbitrij nobis insita. Item illud Urbani Rhegij:  
Tu quidem consentis, vis, operaris, sed Deus te facit consen-  
tire, velle, operari, secundum id, Quid habes o homo, quod  
non accepisti? Item illud Cypriani: In nullo gloriamur, quia  
nihil nostrum est. Calumniosè igitur & illud nobis impingi-  
tur, quasi assensum annuentem promissioni, & applicatio-  
nem,

nem, quæ fit in conuersione, ex humanis viribus aut Modo  
agendi esse docuerim, cum econtra purum id & solidum gratiæ  
Dei donum esse affirmem, sicuti & fides Dei donum est.

Mirum autem, me tam atrociter flagellari propter hanc  
phrasin, cum à magni nominis Theologis antea vsurpata me  
nec autorem, nec propugnatorem vnq̃ professus sim, sed o-  
stenderim, quo pacto in Declaratione, ad communem concor-  
diam nostrarum Ecclesiarum proposita, illa à me & alijs  
Theologis accepta sit. Et ne captiosus aut flexiloquis formu-  
lis ludere in Ecclesia, aut veram doctrinam inuoluere vide-  
remur, non modò liberum alijs fecimus, dextrè vsurpare aut  
reijcere eam, sed ipsi etiam ab eius vsu prorsus abstinemus,  
obtemperantes præcepto Paulino, qui præcipit vitari ambi-  
guitates & λογιμαχίας. Ac vt ipsi retinemus formam sano-  
rum verborum, & non minus in conseruandam puritatem  
doctrinæ, seu custodiendum depositum, quàm Areopagite no-  
stri (vt Thrasonice quidem, & plenis buccis de se prædicant)  
pro donis & vocatione incumbimus: Ita auditoribus nostris  
hortatores sumus, vt res ipsas, & modos loquendi perspicuos  
& vsitatos Prophetis & Apostolis retineant. Quo autem  
candore hæ faces dissidiorum in Ecclesia Dei nobiscum a-  
gant, inde perspicuum est, quòd in suæ farine hominibus non  
modò ambiguas & improprias loquendi voces, sed Proposi-  
tiones etiam monstrosas & portentosas, imò horrenda para-  
doxa ab Antinomis & alijs sparsa tolerant, ijsq̃ σοφὰ φάσματα  
affingunt, idq̃ re ipsa probant, quod in vsitatis versibus dici-  
tur.

Sit bonus interpret, nil mala verba nocent.

Sit malus interpret, nil bona verba iuuant.

Candidum

Candidum igitur Lectorem per Christum obtestamur,  
vt cum huius factionis λογολαχία, φιλονακία, & contradicen-  
di studium aperte deprehendat, ne ex ipsorum calumnijs &  
falsis criminationibus aut nos, aut Ecclesias nostras aestimet.  
Ingenuè enim profitemur, nos vt in reliquis articulis, ita eti-  
am in hoc iam controuerso, sequi consensum veræ & Catholi-  
cæ Ecclesiæ Dei, quæ Augustanam Confessionem & scripta  
Lutheri incorruptè sonat & sequitur.

At cum ex Modo agendi nobis certamen moueatur,  
vtrumq; iterum testamur, Nos hac phrasi nequaquã vllas vi-  
res homini psychico seu non renato reliquum facere, ita vt  
auxilio tantum, & non regeneratione solida Spiritus S. o-  
pus habeat, nec opponere dictis Pauli: Sensus carnis est ini-  
micitia aduersus Deum. Item, Animalis homo non percipit  
ea, quæ Dei sunt. Item, Erasmus natura mortui. Nec dictis  
Lutheri, cum ait, hominem in ipsa conuersione seu innouatio-  
ne habere se purè passiuè: sed tantum voluisse discernere in-  
ter hominem & alias creaturas, quæ nec ad conuersionem  
nec ad salutem æternam conditæ aut destinatæ sunt, & hoc  
vnum spectasse, vt vtrinq; vitarentur extrema ne vel ad Pe-  
lagianos vel ad Manichæos deflecteremus, nobisq; obijci pos-  
set: Dum vitant stulti vicia in contraria currunt. Deinde  
quòd non modò nemini in Ecclesijs nostris seruitus aliqua ex  
his vocibus iniecta, & necessaria παρρησία taxandi corrupte-  
las cohibita sit, sed quòd ipsi etiam vltro & sponte de his voci-  
bus & locutionibus, ne erroris aut iustæ dissensionis materia,  
vel suspicio cuiq; preberetur, cesserimus.

Nunc vt specimen Eruditionis, pietatis, & candoris  
in nostris Antagonistis zelo furentibus, dilucidius ob oculos  
ponatur

ponatur, argumenta ipsorum hinc inde in hoc nouo opere sparsa contra Stosselium, nam Doctorem Maximilianum & reliquos Visitatores & collegas meos tanta adhuc rabie nondum adoriuntur, nuda & sine inuolucris proponam.

I. Stosselius approbavit has phrasas in Declaratione usurpatas, Modum agendi, Capacitatem, Aptitudinem, id est, ut supra declarauimus, discernit inter naturam rationalem & brutam, inter hominem & truncum, idq. cum Luthero & Brentio.

Docet, Spiritum sanctum regulariter per Ministerium homines conuertere & regenerare, idq. cum Paulo Roma. 10. & D. VVello, contra Enthusiastas & Schwenckfeldistas.

Docet, hominem accepto Spiritu sancto non esse statum, sed sentire nouos motus, & assentiri iam promissioni, Roma. 8. Galat. 5.

Ergo est Apostata, haereticus, & defecit à Confessione suorum Principum.

II. Stosselius usus est definitione Euangelij, quae poenitentiam etiam complectitur, & tamen conspicuis limitibus discernit Legem ab Euangelio, idq. cum Augustana Confessione, Luthero, Philippo & Ebero.

Ergo, Stosselius est Adiaphorista.

III. Stosselius variè Modum agendi usurpat.

Ergo, Est perplexus & quadruplator.

IIII. Stosselius in visitatione una cum reliquis Collegis & imprimis cum D. Maximiliano Morlino, amico & fratre coniunctissimo, ex officio restitit Sophisticis deprauationibus propositae Declarationis, & factiosis consilijs ac molitionis

tionibus coniuratorum Flacij, contra huius regionis Scholas  
& Ecclesias susceptis.

Ergo Vim & seueritatem exercuit aduersus 40. Pasto-  
res, vel paulò plus eruditione, pietate & zelo præstantes.

V. Stosselius  $\pi\acute{\sigma}\acute{\omicron}\phi\alpha\sigma\iota\pi$  & pretextum huius seditiosæ &  
inquietissimæ factionis detexit, &  $\acute{\alpha}\iota\tau\iota\omicron\pi$  seu arcem causæ in-  
uasit, ostendens quo ipsorum consilia, censura, & reforma-  
tiones ipso effectu tendant & spectent, idq; in fine suarum pro-  
positionum ordine recensuit.

Ergo Est Anathema & iusto Dei iudicio in reprobum  
sensum coniectus.

Hæc Dialectica  $\epsilon\lambda\alpha\kappa\kappa\eta\eta$ , seu argumentandi ratio ad-  
uersus Stosselium, et alios constantes ac synceros Ecclesiarum  
Doctores, non tantum classicum est ad populum, sed planè ca-  
put Gorgonis, quo conspecto, vertuntur multi in scopulos. Præ-  
sertim cum obtrectatione & sugillationibus hæ consequentiæ  
postea exaggerantur, & odia omnium ordinum aduersus A-  
cademias, earumq; Professores incenduntur. Valet autem hæc  
consequentia ab autoritate &  $\pi\acute{\sigma}\omicron\omega\pi\omicron\lambda\eta\phi\iota\alpha$   $\acute{\alpha}\nu\tau\omicron\varsigma$   $\epsilon\phi\alpha$ . Sic  
enim argumentantur generales Ecclesiarum Reformatores  
seu inquisitores hæreticæ prauitatis, quibus sub pœna Anathe-  
matis contradicere nemini tutum est. Postea cum desunt eis ar-  
gumenta, decurrunt ad fulmina execrationum, & artes Syco-  
phanticas maledicunt dissentientibus. At nos talibus execra-  
tionibus & maledictionibus iniustis, illud Psalmi opponimus:  
Maledicunt illi, tu autem benedices.

Postremò quia de Synodo desperant, quæ scilicet Acto-  
ris & Iudicis partes ipsis adiudicatura sit, aut præsidem  
Dioscori similem datura ad postremum & vniuersalè me iu-  
dicium

dicium citant. Quàm igitur dementer & flagitiosè faciunt, quòd de conseruo suo communi præiudicant, nec patienter expectant tribunal & forum illud Domini sanctum, sed tanquam Aganothetæ, coronatis alijs, alios ignominiosè ante tempus contemnant. Atq; ego sanè, nisi huic supremo iudici consilia, actiones, & studia mea consecrasssem, poteram summo nunc loco inter fulcra & columnas huius Ecclesiæ Catharorum, seu Nouatianorum conspici, vt cui pro his conuitijs amplissima olim Elogia tribuebantur, & cui spes facta erat Canonisationis in opere aureo, sed deterruit me, vt ingenuè & liberè fatear quod sentio, metus iudicij diuini aduersus hos blasphemos zelotas, qui fadè abutuntur sanctissimo nomine Dei, & falso testimonio optimè de Ecclesia Christi meritos onerant & deformant. Deinde quòd virtutum loco habentur in hac factione, virulentia styli & linguæ, Sophistica, maleuolentia, suspicacitas, maledicentia, πολυπραγμοσύνη Tyrannis, & crudelitas erga omnes qui mancipia ipsorum esse detrectant, ostentatio argutiarum, amor contentionis, multiplices practicæ prætextu religionis & zeli susceptæ, ἐπιχαιρῆσι, affectatio supremi Magisterij & Reformationis omnium Academiarum, studium factionum, indulgentia erga suos coniuratos, quorum quo quisq; impudentissimus & sceleratissimus est, eò ad maiores dignitates prouebitur. Et quòd nullus hîc moderationi locus est. Si quis enim studio mitigandi violenta horum flabellorum consilia, Pauli illud Rom. 12. subiiciat: Sapite ad modestiam, id est, manete intra verbum & vocationem. Item illud Petri 1. Pet. 2. præstate in fide virtutem, in virtute scientiam, id est, ne sitis tubæ seditionum, nec Ecclesiam dilacerate λογομαχίας & alijs non necessarijs rixis,

rixis, exercete zelum, sed exemplo Pauli, cum iudicio, cum delectu, & non ad destructionem, sed ad edificationem Ecclesie. Item, unusquisq; in vocatione in qua vocatus est maneat, & in hoc sitis ambitiosi, vt quieti sitis & agatis propria: Eum mox audire oportet Adiphorista, Maiorista, Synergista, Corruptelista, tolle, anathematisa, sed vnde? Quia si Angelus, inquit, e caelo aliud Euangelium afferat, (quam scilicet Flacius protulit aut approbavit) Anathema sit.

Quis hic adeo truncus aut stipes est, vt ex fructibus hunc Spiritum aestimare & deprehendere non possit? Quis sibi persuaderi patietur, Lutheri zelo has Furias agitari, nisi & ipse vecors aut insanus sit? Quis se societate horum Sycophantarum implicabit, nisi qui Scholas & Ecclesias funditus euersas cupit? Quid enim bonae spei de illis reliquum esse potest, qui non modo nullum candorem, prudentiam aut <sup>et</sup> <sup>in</sup> <sup>re</sup> <sup>in</sup> <sup>cap</sup> in iudicando adhibent, sed saepe damnant non intellecta, idq; tantum, vt aucupentur gratiam & fauorem sui theatri? Qui non discernunt inter ciues & hostes, qui collegarum recte dicta deprauant, quod plausibilius existimentur conuellere? Nam si flectere in melius, pium & laudabile est, magnum erit scelus, in peius detorquere. Quanto religiosius Quintilianus Ethnicus, quam hi Pseudozelotae, sensit. Mutos, inquit, nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quam prouidentiae emunera in mutuam perniciem conuertere. Quid refert, quomodo impetas alium, ferro an stylo, vbi voluntas est eadem, & plerunq; lingua plus ledit aut stylo quam gladio, quippe ferro corpus modo consaucias, lingua vero etiam animum? Quis etiam intuens hanc virulentam insectationem  
bonorum



bonorum & conatus seditiosos, non erumpat in hanc vocem  
Patriarchæ Jacob? Simeon & Leui, id est, Flacius & con-  
iurati eius, vasa iniquitatis bellantia, in Consilium eorum  
non veniat anima mea, & in cætu eorum non sit gloria mea,  
Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suffode-  
runt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & in-  
dignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & disper-  
gam eos in Israel.

Sed desino vltcrius hos meos Areopagitas & Cadmæos  
fratres suis coloribus depingere. Nam & ab alijs rectè con-  
stitutis & magnæ autoritatis Ecclesijs detrabi iam ipsis lar-  
ua & asciticia  $\pi\rho\phi\alpha\sigma\iota\varsigma$  cæpit, idq; paulò post accuratius fiet  
ab ijs ipsis, qui serpentem nunc in sinu fouent, cum Homeri-  
cum illud cum Epimetheo sonabunt,  $\pi\alpha\theta\omega\rho\ \delta\epsilon\ \tau\epsilon\ \nu\eta\tau\iota\ \&\ \epsilon\gamma\upsilon\omega$ .  
Reliqui etiam, quos hi Rhadamanti & Anathematistæ falsò  
præter ius & æquum in crimen hereseos mecum vnà traxe-  
runt, vt doctrina, eloquentia & rerum vsu me superant, ita  
suam & Ecclesiæ innocentiam iusta seueritate, à frivolis &  
putidis horum Sycophantarum cauillis vindicabunt, vt ita  
& iniquitas obtrectionum magis detegatur, & falsum cri-  
men à singulis depellatur. Quod restat, candidum Lectorem  
denuò propter filium Dei obtestor, ne me vel corruptelarum  
patronis, vel etiam his Sycophantis annumeret. Nam ab v-  
trorumq; contagio toto pectore per Dei gratiam abhorreo.  
Et quia abominatio est coram Deo labium mendax, ipsi iuxta  
Zachariæ præceptum mecum vnà diligant veritatem, &  
pacem. Facile quidem est, excerpere mutilata dicta, & ea ca-  
uillari. At nos in Ecclesia Thucydideum illud meminerimus:  
 $\delta\iota\alpha\beta\omicron\lambda\acute{\alpha}\varsigma\ \delta\ \sigma\omega\phi\iota\sigma\tau\epsilon\ \delta\ \tau\epsilon\ \lambda\acute{\epsilon}\gamma\alpha\rho,\ \delta\ \tau\epsilon\ \acute{\alpha}\nu\delta\omicron\nu\tau\alpha\varsigma\ \acute{\alpha}\pi\omicron\delta\epsilon\chi\epsilon\omicron\delta\alpha\iota$ . Cumq;

Deus in Ecclesia velit esse iudices, ego in his fulminibus cri-  
minationum, quibus obruor, prouoco ad iudices tales, qui &  
controuersias intelligunt, nec amant sophismatum præstigias.  
Oro etiam Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum,  
custodem Ecclesiæ suæ, vt sancto suo Spiritu nos semper  
doceat & gubernet, sanet Ecclesiæ vulnera, &  
efficiat, vt quàm plurimi vnum simus  
in ipso, Amen.



I E N A E.

Excudebat Donatus Ritzenhayn.  
Anno M. D. LXVI.





490


AB 153490


ULB Halle 3  
002 698 854



SL







A P O L O G I A

D. IOANNIS STOSSELII,  
O P P O S I T A S O P H I S T I C I S E T F R I -  
uolis cauillationibus quorundam censorum, in Comitatu  
Mansfeldensi, qui ambitione & odio accensi, potentiam &  
autoritatem reformandi alienas Ecclesias arroganter si-  
bi sumunt, & prætectu puritatis doctrinae, & glo-  
ria Dei, ad nouas seditiones, aut distractio-  
nes seuiore in Ecclesia Christi  
classicum canunt.



1. Corinth. 4.

Ego verò nihil facio à vobis iudicari, vel ab humano die,  
Dominus est, qui verè & iustè de me sententiam laturus  
est.

Esaie 9.

Vnusquisq; deuorat carnem brachij sui, Manasse Ephra-  
im, & Ephraim Manassen.

Galat. 5.

Qui conturbat vos, iudicium portabit, quisquis est.

Prouerb. 18.

Iustus in principio accusator est sui, postea inquit in alios.

I E N Æ, Ex Officina Donati Ritzenhaini,  
Anno Christi, M. D. L X V I.